



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 10. Mundum beneficijs diuinis plenum, ad gratiarum nos actionem,
vocare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

quidem, sed, in hac vita maximè, clementem ante oculos ponat; illum nempe Deum, qui vocat auersos, donat peccata conuersis. patiens est super peccatores, donec conuertantur. *Quandounque conuersi fuerint: præterita oblinisciatur, futura promittit. Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuuat dimicantes, neminem deserit laborantem & exclamantem ad se: donat unde sibi sacrificetur, ipse tribuit, unde placetur. Hoc magnum misericordia tempus, non nos transeat. Venturum est enim iudicium. Et tunc erit pœnitentia, sed infructuosa.* Huiusmodi conciones, hamus sunt, quo trahuntur etiam in magnō peccatorum pelago natantes: prunæ sunt, quibus bona indoles liqueficit: flammæ sunt: quibus etiam frigida corda incenduntur.

X.

Mundum beneficijs diuinis plenum ad gratiarum nos actionem vocare.

Quis beneficium nouit, & non amat? Quidquid huc vsq; laboratum est, laboratū est, vt Deum bonum, justū, misericordem, facientem omnibus bene, nosceremus. Vel Seneca hunc ex hac notitia fructum agnouit: nam contra Epicurum disputans, qui Deum non esse de nobis sollicitum, nec conferre nobis

S. Augu-
stin. in
Psal. 32.
serm. 1.

436 Cap. XVIII. A Dei clementia omnes

Senec.
lib. 4. de
benef. c.
3. 6. 7.

vlla bona, sacrilegâ inscitiâ, docebat, negat
vllum esse, ad quem aliquid, ex illo benignissimo fonte, non manârit. Non dat Deus
beneficia, inquit, sed securus & negligens no-
strâ auersus à mundo aliud agit, aut (quæ maxi-
ma Epicuro fœlicitas videtur) nihil agit, nec
magis illum beneficia, quam iniuriæ tangunt.
Hoc qui dicit, non exaudit precantum voces,
& undique sublatis in cælum manibus vota fa-
cientium priuata ac publica. Quod profectò non
fieret, nec in hunc furorem omnes mortales con-
sensissent alloquendi surda numina, & ineffica-
ces Deos, nisi nosserent illorum beneficia nunc ul-
tro oblata, nunc orantibus data, magna tem-
pestina, ingentes minas interuentu suo soluen-
tia. Quis est itaq; tam miser, tam neglectus, quis
tam duro fato, & in pœnam genitus, ut non tan-
tam Deorum munificentiam senserit? ipsos
complorantes, sortem suam, & querulos circum-
spice, inuenies non ex toto beneficiorum cœlestiū
expertes, neminem esse, ad quem non aliquid ex
illo benignissimo fonte manauerit. Parum autem
id quidem nascentibus ex aquo distribuitur? ut
que sequuntur in aequali dispensata mensura
transcamus, parum dedit natura, cum se dedit?
Non dat Deus beneficia? Vnde ergo ista, quæ
possides? quæ das? quæ negas? quæ sernas? unde
hec

hæc innumerabilia oculos aureis & animum
mulcentia? Vnde illa luxuriam quoq; instruens
copia? neq; enim necessitatibus tantummodo no-
stris pronisum est, usq; in delicias amamur. Tot
arbusta non uno modo frugifera, tot herba salu-
tares, tot varietates ciborum, per totum annum
digestæ, ut inerti quoque fortuita terre alimen-
ta præberent. Iam animalia omnis generis, alia
in sicco solidoque, alia in humido innascentia, a-
lia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ
pars tributum aliquod nobis conferret. Flumi-
na hæc amoenissimis flexibus campos cingentia,
illa præbitura commercijs viam, vasto &
navigabili cursu vadentia, ex quibus quadam, sta-
tis diebus, mirabile incrementum trahunt, in
anhela & feruenti subiecta cœlo, loca subita vis
& stini torrentis irriget. Quid medicorum tor-
rentium vena? quid in ipsis littoribus aquarum
calantium exundatio? Te, Lari maxime,
teque, Fluctibus & fremitu, assurgens Ben-
ece, marino. Si pauca quis tibi donasset jugera,
accepisse te diceres beneficium, immensa terra-
rum latè patentium spatia negas esse beneficia?
si pecuniam tibi aliquis donauerit, & arcam-
tuam (quoniam id tibi magnum videtur) im-
pleuerit, beneficium vocabis. tot metalla defo-
dit, tot flumina emisit in aëra, super quæ decur-

E e 3

438 Cap. XVIII. A Dei clementia omnes

runt sola aurum vehentia: argenti, & ris, ferri
 immane pondus omnibus locis obrutum, cuius
 inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium
 diuiniarum, in summa terra, signa disposuit. ne-
 gas te accepisse beneficium? Si domius tibi do-
 netur, in qua marmoris aliquid resplendeat, &
 tectum nitidius auro aut coloribus sparsum, num
 mediocre munus vocabis? Ingens tibi domici-
 lium, sine ullo incendij aut ruine metu, struxit,
 in quo vides non tenues crustas, & ipsa, qua se-
 cantur, lamina graciliores, sed integras lapidis
 pretiosissimi moles, sed totas varia distinctaque
 materia, cuius tu parvula frusta miraris, te-
 atum vero aliter nocte, aliter interdiu fulgens:
 negas te ullum munus accepisse? & cum ista
 que habes, magno astimes, quod est ingrati homi-
 nis, nulli debere te judicas? Vnde tibi istum,
 quem trahis spiritum? Vnde istam, per quam
 actus vita tua disponis atque ordinas, lucem?
 Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis contine-
 tur calor? Vnde ista palatum tuum saporibus
 exquisitis ultra satietatem laceffentia? Vnde
 haec irritamenta iam lassa voluptatis? Vnde ista
 quies, in qua putrescis ac marces? nonne, si gra-
 tus es, dices? Deus nobis hac otia fecit.

Namque erit ille mihi semper Deus, illius

ALAM.

Sape

Sæpe tener nostris ab quilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit a-
gresti.

Ille Deus est, non qui paucas boves, sed qui per
totum orbem armenta dimisit, qui gregibus v-
biq; pañim vagantibus pabulum præstat, qui
pascua hibernis astiua substituit, qui non calamo
tantum cantare, & agreste atque inconditum
carmen, ad aliquam tantum oblectationem, mo-
dulari docuit, sed tot artes, tot vocum varia-
tes, tot sonos, alios, spiritu nostro, alios, externo,
cantus edituros commentatus est. Neque enim
nostra ista, quæ inuenimus dixeris, non magis,
quam quod crescimus, quam quod ad constitu-
tum tempus sua corpori officia respondent. Num
puerilium dentium, nunc ad surgentem iam
etatem, & in robustiore gradum transeun-
tem pubertas, & ultimus ille dies fugienti viæ
terminum ponens? Insita sunt nobis, omnium e-
tatum, omniumque artium semina, magisterque
ex occulto Deus producit ingenia; immò pro-
ducit omnia, & producit sapientissima bo-
nitate temporata, vt jure vbique dicere

possimus: Domine Dominus noster, quam Psal. 8. 13

admirabile est nomen tuum, in-
vniuersa terra?

Ee 4 §. IX,